HERB.

ISTITUTO BOTANICO DELLA R. UNIVERSITÀ DI PAVIA

E

LABORATORIO CRITTOGAMICO ITALIANO

FUNGI ATERNENSES

AD FUNGORUM ITALICORUM COGNITIONEM ALIQUO INCREMENTO AUGENDAM

DIGESTI AC DESCRIPTI

a Doct. **MARIO CURZI**

Regiae Officinae Cryptogamicae Ticinensi ad tempus praefecto

ET

a Doct. **MARIA BARBAINI**

in eadem Regia Officina Cryptogamica Ticinensi adiutrice

IMPERIAL BUREAU
10 SEPT. 1928
OF MYCOLOGY
Curzi.

(Additis LXXIX novis figuris phototypice impressis in VII tabulas distributis).

MILANO

TIPO-LIT. TURATI LOMBARDI E C.

1927.

ISTITUTO BOTANICO DELLA R. UNIVERSITÀ DI PAVIA

E

LABORATORIO CRITTOGAMICO ITALIANO

FUNGI ATERNENSES

AD FUNGORUM ITALICORUM COGNITIONEM ALIQUO INCREMENTO AUGENDAM

DIGESTI AC DESCRIPTI

a Doct. **MARIO CURZI**

Regiae Officinae Cryptogamicae Ticinensi ad tempus praefecto

ET

a Doct. **MARIA BARBAINI**

in eadem Regia Officina Cryptogamica Ticinensi adiutrice

(Additis LXXIX novis figuris phototypice impressis in VII tabulas distributis).

PROEMIUM.

Longius latiusque cuiuscumque regionis solum terrae innotescere eiusque gignentia atque animantia constat inter omnes, in qua patulum frondescat laetumque vigeat eruditorum hominum umbraculum, cum regio ipsa illi scientiae pervestigationi latius pateat, ad quam herbarum periti sollerti ac vigili innituntur animo. Quo factum est e. g. ut ex omnibus regionibus nostrae Italicae paeninsulae, ad meridiem pertinentibus, Campania una species fungorum haberet plurimas descriptas, illorum clarissimorum hominum merito ac gratia, qui in Athenaeo neapolitano herbarum fungorumque disciplinae praecepta studio ac doctrina tradiderunt; reliquae vero regiones fere omnino inesploratae essent, quarum igitur de exiguo tantum numero fungorum specierum eruditi illi homines, qui mycologi vocantur, hucusque certiores essent facti.

Omnium harum regionum vel obliteratissima est Aprutium, cuius tamen cum incolarum animi virtute ac humanitate ornantur, tum etiam terrae solum rebus abundat dignis, quas admiremur omnes atque agnoscamus. Si quid enim ex libris et libellis, de fungorum disciplina editis, excerpimus, aliquas tantummodo laudari species invenimus, regionis

Aprutinae propias; quas species Tenorius [1] et Cesatius [2], aliquando Aprutium peragrati, cum nonnullis fanerogamis collectas descripserunt. De exiguo agitur numero specierum, quae, cum communes ceteris regionibus sint, pleraeque notae, quod ad pervestigationem fungorum scientiae attinet, parvi momenti sunt.

Species autem singulae in nonnullis recensionibus ac commentariis, de fungorum disserentibus disciplina, passim laudatae, nobis neglegendae videntur.

Nos igitur has fungorum species, in agro Aprutino collectas, primi recensuimus. Ducentae septuaginta quattuor species varietatesque fungorum aguntur, pleraeque instrumento, quod vulgo microscopio nuncupatur, spectandae; quarum specierum septem et triginta nunc primum mycologis significantur. Quibus recensendis ac describendis in spem venimus ad cognitionem specierum fungorum, quae in regionibus continentis Italiae ad meridiem pertinentibus oriuntur, plurimum nos esse collaturos.

Postremo est quod ii, qui legunt, animadvertant hic tantummodo species fungorum Aternensis provinciae proprias recenseri. Fungos enim quos describimus, alteruter nostrum (Curzi) anno MCMXXV-XXVI in convalle Aterni fluminis collegit, quam adverso flumine subiit usque ad pagum, « Torre dei Passeri », pleraeque species tamen prope urbem « Pescara » provinciae caput, inventae sunt, ad ostium fluminis, quo quidem loco, a Romanis aedificatum, Aternum oppidum fuit.

Ex Officina Cryptogamica Ticinensi, Kal. Iun., Anno MCMXXVII.

---

[1] *Succinta relazione del viaggio fatto in Abruzzo ecc. nel 1829,* Napoli, 1830, pag. 90.

[2] *Elenco delle piante raccolte ecc. sul gruppo della Majella e del Morrone.* Bull. Club Alpino, vol. VII, pp. 31-32, Torino, 1873.

SPECIES IN ORDINEM DIGESTAE

Div. EUMYCETEAE.

I. *TELEOMYCETEAE.*

Classis **BASIDIOMYCETEAE.**

Sub-cl. **Eubasidieae.**

Ordo **HYMENIALES.**

Fam. AGARICACEAE.

1. **Armillaria Citri** (Inz.) Sacc., *Syll.* V, p. 83.
   Hab. in truncis *Citri Limonum*, pr. Aternum.

2. **Tricholoma album** (Schäff) Quél. — Sacc., *Syll.* V, p. 127.
   Hab. in terra uda, pr. « Torre dei Passeri ».

3. **Hypholoma cotoneum** (Quél.) Sacc., Hymeniales, p. 818. — *H. lacrimabundum* (Fr.) Quél. — Sacc., *Syll.* V, p. 1033.
   Hab. in silvaticis, pr. Lauretum Aprutinum.

4. **Flammula Tammii** (Fr.) Sacc., *Syll.* V, p. 810.
   Hab. in terra silvatica, pr. « Torre dei Passeri ».

5. **Russula adusta** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* V, p. 454.
   Hab. in silvis frondosis, pr. Aternum.

6. **R. fragilis** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* V, p. 472.
   Hab. in silvaticis, pr. « Pianella ».

7. **Lenzites albida** Fr. — Sacc., *Syll.* V, p. 637.
   Hab. in truncis *Ulmi campestris*, pr. Angulum.

Fam. POLYPORACEAE.

8. **Polyporus hispidus** (Bull.) Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 129.
   Hab. in trunco *Mori albae*, pr. Aternum et « Montesilvano ».

9. **Polystictus hirsutus** (Wulf.) Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 257.
   Hab. in truncis populneis, pr. Aternum et « Catignano ».

10. **P. multicolor** (Schäff.) Sacc., Hymeniales, p. 1023. — *P. zonatus* (Nees.) Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 260.
    Hab. in truncis vetustis salignis, pr. « Rosciano ».

11. **P. versicolor** (L.) Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 253.
    Hab. in truncis *Alni* et *Fraxini*, pr. Lauretum Aprutinum et « Cepagatti ».

12. **Trametes gibbosa** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 337.
    Hab. in trunco fagineo, pr. « Caramanico ».

13. **Daedalea cinerea** Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 372.
    Hab. in truncis fagineis, pr. « Torre dei Passeri ».

14. **D. quercina** (L.) Pers. — Sacc., *Syll.* VI, p. 370.
    Hab. in truncis putridis querneis, pr. Lauretum Aprutinum.

15. **Merulius papyrinus** (Bull.) Quél. — Sacc., Hymeniales, p. 1063 (1916). — *M. Corium* Fr. — Sacc., *Syll.* VI, p. 413.
    Hab. in truncis *Citrorum*, pr. Aternum et « Montesilvano ».

Fam. THELEPHORACEAE.

16. **Stereum purpureum** Pers. — Sacc., *Syll.* VI, p. 563.
    Hab. in trunco alneo et in ramis populneis, pr. Aternum et Lauretum Aprutinum.

17. **Corticium leve** Pers. — Sacc., *Syll.* VI, p. 611, IX, p. 235, XVII, p. 170.
    Hab. in truncis querneis putridis, pr. Aternum.

Sub-cl. **Protobasidieae.**

Ordo **UREDINALES.**

Fam. PUCCINIACEAE.

18. **Uromyces Behenis** (D.C.) Unger. — Sacc., *Syll.* VII, p. 559.
HAB. in foliis caulibusque *Silenes inflatae*, pr. Aternum et « Montesilvano ».
OBS. Teleutosporae huius *Uromycetis* aliquantum dissimiles videntur, prout teleutosori foliicoli vel caulicoli sunt. In teleutosoris foliicolis teleutosporae sunt rotundiores, pedicello brevi saepius absente, in teleutosoris caulicolis autem teleutosporae sunt longiores, pedicello longo persistente.

19. **U. Fabae** (Pers.) De By. — Sacc., *Syll.* VII, p. 531.
HAB. in foliis *Viciae Fabae*, pr. Aternum et « Montesilvano ».

20. **U. Genistae-tinctoriae** (Pers.) Winter. — Sacc., *Syll.* VII, p. 550, p. p.; Syd. Monogr. Ured. II, p. 90. — *U. Laburni* (DC.) Fuck., Symb., p. 62; Trotter, Uredinales, p. 59.
HAB. in foliis *Cytisi Laburni*, pr. « Torre dei Passeri ».

21. **U. Scillarum** (Grev.) Winter. — Sacc., *Syll.* VII, p. 567.
HAB. in foliis *Muscari comosi*, pr. « Montesilvano ».

22. **U. Spartii-juncei** Syd., Monogr. Ured., II, p. 130. — Sacc., *Syll.* XXI, p. 542.
HAB. in ramulis *Spartii juncei*, pr. Aternum.

23. **U. striatus** Schroeter. — Sacc., *Syll.* VII, p. 542.
HAB. uredo- et teleutosporae in foliis caulibusque *Medicaginis sativae*, pr. Aternum.

24. **Gymnosporangium Sabinae** (Dicks.) Wint. — Sacc., *Syll.* VII, p. 739.
HAB. aecidia in foliis *Piri communis*, pr. Aternum, « Spoltore » et « Catignano ».

25. **Puccinia Agropyri** Ell. et Ev. — Sacc., *Syll.* XI, p. 201.
HAB. uredo- et teleutosporae in foliis *Agropyri*, pr. Lauretum Aprutinum.

26. **P. Asparagi** D.C. — Sacc., *Syll.* VII, p. 601.
HAB. in caulibus *Asparagi officinalis*, pr. Aternum.

27. **P. Festucae** Plow. — Sacc., *Syll.* XI, p. 194.
HAB. aecidia in foliis *Lonicerae Caprifolii*, pr. Aternum.

28. **P. Gladioli** Cast. — Sacc., *Syll.* VII, p. 728.
HAB. in foliis *Gladioli communis*, pr. « Montesilvano ».

29. **P. glumarum** (Schm.) Erikss. et Henn. — Sacc., *Syll.* XVII, p. 380.
HAB. in foliis *Bromi*, pr. « Montesilvano ».

30. **P. graminis** Pers. — Sacc., *Syll.* VII, p. 622.
HAB. in foliis siccis *Tritici vulgaris* et *Lolii italici*, pr. Aternum et « Montesilvano ».

31. **P. Lolii** Niels., Ugeskrift for Landmaend 1875, Bd. I, p. 549. — *P. coronifera* Kleb. — Sacc., *Syll.* XI, p. 203.
HAB. in foliis *Avenae sativae*, pr. « Montesilvano ».

32. **P. Malvacearum** Mont. — Sacc., *Syll.* VII, p. 686.
HAB. in foliis *Malvae silvestris*, pr. « Montesilvano ».

33. **P. Poarum** Niels. — Sacc., *Syll.* VII, p. 625.
HAB. aecidia in foliis *Tussilaginis Farfarae*, pr. Aternum.

34. **P. Pruni-spinosae** Pers. — Syd., Monograph. Ured. vol. I, p. 484. — *P. Pruni* Pers. — Sacc., *Syll.* VII, p. 648.
HAB. aecidia in foliis *Anemonis*, pr. « Spoltore ».

35. **Phragmidium violaceum** (Schulz) Winter. — Sacc., *Syll.* VII, p. 744.
HAB. in foliis *Rubi caesii*, ad Aternum.

Fam. COLEOSPORIACEAE.

36. **Coleosporium Inulae** (Kunze) Ed. — Sacc., *Syll.* XXI, p. 721.
HAB. uredo- et teleutosporae in foliis *Inulae viscosae*, pr. « Spoltore ».

Sub-cl. **Hemibasidieae.**

Ordo **USTILAGINALES.**

Fam. TILLETIACEAE.

37. **Enthyloma Picridis** Rostrup. — Sacc., *Syll.* VII, p. 492.
HAB. in foliis *Picridis hieracioidis*, in Agro Angulensi.

38. **Urocystis Tritici** Körn. — Sacc., *Syll.* XXI, p. 526.
Hab. in *Tritico vulgari*, pr. Aternum, Lauretum Aprutinum et « Montesilvano ».

Fam. USTILAGINACEAE.

39. **Ustilago Avenae** (Pers.) Jens. — Sacc., *Syll.* IX, p. 283.
Hab. in ovariis *Avenae sativae*, pr. Aternum, « Alanno » et « Montesilvano ».

40. **Ustilago Cynodontis** (Pass.) Czi. n. comb., nec non Brefeld. — *U. Carbo* var. *Cynodontis* Pass., Erb. Critt. Ital., ser. II, n. 450, 1871. — *U. paraguariensis* Speg., Fung. Guaran., P. I, n. 103, 1883; Sacc., *Syll.* VII, p. 466. — *U. segetum* var. *Cynodontis* P. Henn., Fung. Afric., I, p. 369 in Engl. Jahrb. XIV, 1891. — *U. Cynodontis* Auct. — Brefeld, Unters. XII, p. 105, tab. VI, fig. 11-16, 1895; Sacc. et Syd., *Syll.* XIV, p. 416; Maire, Dumée et Lutz, Bull. Soc. Bot. Fr., XLVIII, 1901; Trav., Malp. XVII, p. 17, 1903; Trotter., Bull. Soc. Bot. It., 1911, p. 136, ect.
Hab. in inflorescentiis *Cynodontis Dactylon*, pr. Aternum et « Montesilvano ».
Obs. *Ustilagines* quas Spegazzinius et P. Henningius in *Cynodonte Dactylon* descripserunt ad speciem Passerinianam referendae sunt, nisi forte *Ustilago Cynodontis* referenda est ad *Ustilaginem Dregeanam* Tul. (Ann. Sc. Nat., 1847, p. 83), quam Tulasnius sporis 4-5 μ diam. et rursum Kalchbrennerius (Grevillea XI, p. 18) sporis 12-15 μ diam. describit.
Cum autem sporarum notae a Tulasnio descriptae considerentur, *Ustilago Dregeana* longe alia ac *Ustilago Cynodontis* existimanda est, quod quidem nobis potius affirmandum videtur quam error in quem clarus ille vir Tulasnius lapsus sit. *Ustilago paraguaiensis* ita est descripta: « ... *sporis globosis, mediocribus, 7-9 μ diam, dense granuloso-farctis (aut leniter areolato-alveolatis?) olivaceo fuligineis, minutissime laxissimeque granuloso papillulatis* ». Quarum nonnullae notae, quibus quidem Spegazziniana e ceteris speciebus distinguenda est, *Ustilagini Cynodontis* non desunt, quae tamen ab auctoribus, has species describentibus, consideratae non sunt. Exsiccata enim et praesertim exemplaria ab alterutro nostrum collecta, quae nos inspeximus, *Ustilaginem Cynodontis* praebent sporis manifeste granuloso farctis, fere semper episporio levi vel leniter rugoso

et fortasse papillulato. Cum autem haec sporae in « alcool » demersae sunt, aut rapide tostae sunt, episporium corrugatur et sporae (quarum dimensiones infra 7-9 μ diam. permanent), non aeque alveolatae et linea leniter undulata circumscriptae apparent.

Classis **ASCOMYCETEAE.**

Sub-cl. **Euasceae.**

Ordo **PROTODISCALES.**

Fam. EXOASCACEAE.

41. **Taphrina Crataegi** Sadeb., Krit. Unters. Taphr., p. 21, t. IV, f. 5.
— *Exoascus Crataegi* (Sadeb.) Sacc., *Syll.* X, p. 70.
Hab. in foliis *Crataegi Oxyacanthae*, pr. Aternum.

42. **T. deformans** (Berk.) Tul., Ann. Sc. Nat. 5 ser. V (1866), p. 128.
— *Exoascus deformans* (Berk.) Fuck. — Sacc., *Syll.* VIII, p. 816.
Hab. in foliis *Amygdali Persicae*, ubicumque.

Ordo **PLECTASCALES.**

Fam. EUROTIACEAE.

43. **Eurotium herbariorum** (Wigg.) Link. — Sacc., *Syll.* I, p. 26.
Hab. in foliis putridis *Photiniae serrulatae*, pr. Aternum.

44. **E. lateritium** Mont. — Sacc., *Syll.* I, pag. 26.
Hab. in pane corrupto, pr. Aternum.

45. **Thielavia basicola** Zopf. — Sacc., *Syll.* I, p. 39.
Hab. in parte subterranea caulis *Phaseoli vulgaris*, pr. « Montesilvano ».

Ordo **PYRENIALES.**

Sub-ordo **Perisporiineae.**

Fam. ERYSIPHACEAE.

46. **Podosphaera leucotricha** (Ell. et Ev.) Salmon, Monogr. Erysiph., p. 40 (1900). — *Sphaerotheca leucotricha* Ell. et Ev. — Sacc., *Syll.* IX, p. 365.
HAB. in germinibus ad caudicem *Piri Mali*, pr. Aternum.

47. **Sphaerotheca Humuli** (D.C.) Burr., Bull. Ill. State Nat. Hist. 2 (1887). — *Sphaerotheca Castagnei* Lév. — Sacc., *Syll.* I, p. 4.
HAB. in foliis *Humuli Lupuli*, pr. Aternum.

48. **Sph. pannosa** (Wallr.) Lév. — Sacc., *Syll.* I, p. 3.
HAB. in germinibus *Amygdali Persicae*, pr. Aternum et « Montesilvano ».

49. **Phyllactinia corylea** (Pers.) Karst., Act. Soc. F. F. Fenn. II, 1885, p. 92; Salmon, Monograph. 1900, p. 224. — *Phyllactinia suffulta* (Rab.) Sacc., *Syll.* I, p. 5.
HAB. in foliis *Coryli Avellanae* et *Quercus Ilicis*, pr. Aternum et « Alanno ».
OBS. in foliis *Quercus Ilicis* hunc fungum animadvertimus non ut parasitum; aliquot enim perithecia in pagina inferiore foliorum invenimus, quasi vento translata et densa detenta lanugine, qua foliorum pagina inferior nonnullarum varietatum *Quercus Ilicis* induitur.

50. **Microsphaera quercina** (Schw.) Burrill. in Burrill et Earle, Bull. Ill. State L. N. H. II, p. 385-432 (1887). — *Erysiphe quercina* Schw. — Sacc., *Syll.* I, p. 22.
HAB. in foliis subvivis *Quercus*, pr. Aternum, « Spoltore » et « Alanno ».
OBS. Peritheciis sparsis, initio aurantiacis dein rufo-brunneis, globulosis, 90-140 μ (110-115 μ) diam.; appendicibus 10-40, plerumque 15-20, peritheciorum diametrum subaequantibus vel leniter superantibus, 3 μ crassis, asperulis; ascis 4-6 in singulis peritheciis, late ovatis, saepius esasporis; sporidiis ellipticosubcylindraceis, 24-26 = 11,5-14 μ, utrinque obtuso-rotundatis, granuloso-farctis, hyalinis.

Hanc erisiphaceam diversis locis invenimus, sed copiosiorem in compluribus exemplaribus collectis secundum ripam Aterni fluminis sinistram, quam mense decembri anno MCMXXV ad viginti milia passuum investigavimus.

Folia cum peritheciis *Microsphaerae quercinae* languida erant, quorum maior paginae pars sicca, cum amplis crustis fungo in statu conidico effectis in pagina superiore, raro in inferiore, in qua ne perithecia quidem deerant; haec folia in germinibus ex inferiore parte trunci vel ex ipsis radicibus erumpentibus, propioribus alveo fluminis, inveniuntur.

51. **Erysiphe Cichoracearum** D.C., Fl. 2, p. 274 (1805). — *Erysiphe lamprocarpa* (Walbr.) Lév. — Sacc., *Syll.* I, p. 16.
HAB. in foliis *Cirsii*, pr. « Montesilvano ».

52. **E. graminis** D.C. — Sacc., *Syll.* I, p. 19.
HAB. in foliis *Bromi*, *Avenae*, *Phlei* et *Tritici*, pr. Aternum, Lauretum Aprutinum, « Alanno » et « Montesilvano ».

Fam. CAPNODIACEAE.

53. **Capnodium Nerii** Rabh. — Sacc., *Syll.* I, p. 77.
HAB. in ramis siccis *Nerii Oleandri*, pr. Aternum.

54. **C. quercinum** (Pers.) Berk. et Desm. — Sacc., *Syll.* I, p. 79.
HAB. in ramulis siccis *Quercus*, pr. Aternum.

55. **C. salicinum** Mont. — Sacc., *Syll.* I, p. 73.
HAB. in foliis et ramulis salignis, ubicumque.

56. **Antennaria elaeophila** Mont. — Sacc., *Syll.* I, p. 81.
HAB. in foliis et ramis *Oleae europaeae*, ubicumque.

Sub-ordo **Hypocreineae**.

Fam. HYPOCREACEAE.

57. **Nectria charticola** (Fuck.) Sacc., *Syll.* II, p. 500.
HAB. in charta putrida, pr. Aternum.

58. **Melanospora parasitica** Tul. — Sacc., *Syll.* II, p. 464.
HAB. in *Beauveria Bassiana* in larvis *Bombycis Mori*, pr. Aternum.

59. **Gibberella baccata** (Wallr.). Sacc., *Syll.* II, p. 553.
HAB. in ramulis siccis *Citri Limonum*, pr. Aternum.

Sub-ordo **Sphaeriineae.**

Fam. CHAETOMIACEAE.

60. **Chaetomium comatum** (Tode) Fr. — Sacc., *Syll.* I, p. 221.
HAB. in foliis putridis *Quercus Ilicis*, pr. Aternum.

61. **Ch. globosum** Kunze. — Sacc., *Syll.* I, p. 222; Trav., Pyrenom., p. 444.
HAB. in palea putrida, Aterni.

62. **Ch. murorum** Corda. — Sacc., *Syll.* I, p. 223.
HAB. in stercore canino udo et in caule putrido *Solani Melongenae*, pr. « Montesilvano ».
OBS. Peritheciis globosis, initio cyaneis, inde olivaceo-fuscis, 200-270 μ diam.; pilis simplicibus circiter sexto peritheciorum diametrum superantibus, septatis, crustis crystallinis ornatis, curvatis, sursum circinatis, 5-7,5 μ crassis; ascis evanescentibus; sporidiis fusiformibus, primum hyalinis, dein dilute cyaneis, olivaceis, tandem fere fuligineis, 14 = 8-9 μ.

Fam. SORDARIACEAE.

63. **Sordaria fimicola** (Rob.) Ces. et De Not. — Trav., Pyrenom., p. 421. — *Hypocopra fimicola*. Sacc., *Syll.* I, p. 240.
HAB. in stercore canino, pr. « Montesilvano ».

64. **Bombardia fasciculata** (Batsch.) Fr. — Sacc., *Syll.* I, p. 277.
HAB. in ramis putridis salignis, pr. Aternum.

Fam. SPHAERIACEAE [1].

65. **Rosellinia byssiseda** (Tode) Schröt., Pilze Schless., II, p. 299 (1894). *R. aquila* De Not. — Sacc., *Syll.* I, p. 252.
HAB. in ramis putridis *Lauri nobilis*, pr. Angulum.
OBS. Huic speciei putamus referendam esse *Roselliniam Mollerianam* Wint. (Sacc., *Syll.* IX, p. 501) quae in cortice *Lauri nobilis* in Lusitania describitur, quia descriptio huius speciei cum descriptione *Roselliniae byssisedae* fere perfecte convenit.

---

[1] Seu *Trichosphaerieae* Wint. et *Melanommeae* Wint.

66. **Melanomma Pulvis-pyrius** (Pers.) Fuck. — Sacc., *Syll.* II, p. 160.
HAB. in ramis siccis *Coryli Avellanae*, pr. Aternum.

Fam. LOPHIOSTOMATACEAE

67. **Lophiostoma caudatum** Fabr. — Sacc., *Syll.* II, p. 707.
HAB. in ramis siccis *Paliuri aculeati*, pr. Lauretum Aprutinum.

68. **L. dubiosum** Czi. et Bni. n. sp.
Pycnidiis sparsis, immersis, subglobosis, 110-150 μ diam., contextu pseudoparenchymatico fuligineo; ostiolo ex contextu matricali promineo-erumpente, amplo, 60-90 μ diam.; ascis subcylindraceis v. clavatis 67-77 = 6-7,5, octosporis, paraphysatis; sporidiis distichis, subpiriformibus, attenuatis, rectis v. leniter curvulis, 3-septatis, ad septa non constrictis, 19-21 = 2,5-3,5 μ, flavidulis.
HAB. in foliis putrescentibus *Yuccae gloriosae*, Aterni.
ICON. nostra tab. VII, fig. 6 et 7.

69. **L. macrostomoides** De Not. — Sacc., *Syll.* II, p. 694.
HAB. in ramis dejectis salignis, pr. « Montesilvano ».

Fam. SPHAERELLACEAE.

70. **Sphaerella exitialis** Mor. — Sacc., *Syll.* IX, p. 655.
HAB. in foliis emortuis siccis *Tritici vulgaris*, pr. « Montesilvano ».
OBS. Maculis nullis; peritheciis sparsis, subepidermicis, globosis, atris, 80-100 μ diam., contextu brunneo parenchymatico; ascis oblongo-clavatis, aparaphysatis, apice rotundatis, breviter pedicellatis, 50-60 = 15-18 μ; sporidiis subdistichis, fusoideis, hyalinis, 1-septatis, 14-18 = 4,5-6 μ.

71. **Sph. Gibelliana** Pass. — Sacc., *Syll.* I, p. 484.
HAB. in foliis languidis *Citri Aurantii*, pr. Aternum.

72. **Sph. Trifolii** Karst. — Sacc., *Syll.* p. 514.
HBA. in caulibus siccis *Trifolii pratensis*, pr. Lauretum Aprutinum.

Fam. PLEOSPORACEAE.

73. **Physalospora gregaria** (Sacc.) Sacc., *Syll.* I, p. 435.
HAB. in ramis siccis *Citri Aurantii*, pr. Aternum.

74. **Physalospora oleandrina** Czi. et Bni. n. sp.

Peritheciis sparsis vel interdum gregariis, in corticem immersis, globosis v. leniter depressis, 220-250 μ diam., *ostiolo impresso, excipulo crasso dense parenchymatico, nigrescente, nucleo albo; ascis clavatis, superne rotundatis, parte inferiore attenuatis et subpedicillatis, 60 70 = 14-16 μ, octosporis; paraphysibus filiformibus; sporidiis subdistichis, initio fusiformibus dein ovalibus v. ovoideo-rhombicis, granuloso-farctis, 15-18 = 6,5-8 μ, hyalinis.*

Hab. in ramis siccis *Nerii Oleandri*, pr. Aternum, ad mare.

Icon. nostra tab. VI, fig. 3 b et 4.

Obs. Hunc fungum invenimus, socium pycnidiis novae speciei *Macrophomae* (cfr. n. 129), quae *Macrophoma* et forma et notis recte existimari potest eius status pycnidicus.

Eodem enim contextu quo perithecia *Physalosporae*, constituta sunt *Macrophomae* pycnidia, quae praeterea iisdem hyphis torulosis et atris circumsepta sunt. Cum in substratis nutriciis coluissemus, ex ascosporis *Physalosporae* easdem colonias mycelicas ac ex pycnosporis *Macrophomae* deduximus; at cum infecundae fuissent, confirmari non potuit hos duos status funginos esse affines, cuius rei causa singulos descripsimus.

Simul cum *Physalospora* et *Macrophoma* animadvertimus etiam creberrima pycnidia *Zythiae* cuiusdam (cfr. n. 210), sed haud dubium est quin inter haec pycnidia et status funginos, quos supra descripsimus, nihil intercedat.

Physalospora quam descripsimus a *Physalospora Nerii* Pass. maxime sporis multo minoribus plane differt. Illa potius cum *Physalospora citricola* Penz. convenit.

75. **Didismosphaeria bacchans** Pass. — Sacc., *Syll.* I, p. 704.

Hab. in sarmentis siccis *Vitis viniferae*, pr. « Alanno ».

76. **Metasphaeria lauretana** Czi. et Bni. n. sp.

Peritheciis numerosis, punctiformibus, dense sparsis, globosis, subepidermicis, 150-200 μ diam., *contextu crasso-carbonaceo, nucleo albo, ostiolo erumpente; ascis cylindraceo-saccatis, paucis, plerumque 45-55 = 14-16 μ; paraphysibus filiformibus, numerosissimis, 50-65 μ longis, 2 μ crassis; sporidiis denique 4-septatis, loculo medio leniter inflato, 18-21 = 5-6 μ, hyalinis.*

Hab. in ramis siccis *Lauri nobilis*, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. VII, fig. 1 a et 2.

Obs. Haec species a *Metasphaeria nobili.* Sacc. (*Syll.* II, p. 169) et peritheciis majoribus et ascis brevioribus et forma dimensionibusque sporarum plane differt.

Perithecia interdum inter *Microdiplodiae* (cfr. n. 191) pycnidia oriuntur, ita ut hos duos status funginos valde probabiliter ad eamdem speciem pertinere existimemus. Quod hoc confirmatur: a compluribus speciebus *Metasphaeriae* status pycnidicos similes praeberi vel etiam eos status, qui generibus Sphaeropsidearum quibusdam, generi *Microdiplodiae* All. valde affinibus, referri possint.

77. **Leptosphaeria ampelina** Czi. et Bni. n. sp.

Peritheciis sparsis, punctiformibus, epidermide tectis vel erumpenti-superficialibus, globoso-depressis aut conoideis, ostiolo brevi papillato, contextu celluloso atro-fuligineo; ascis subcylindraceis v. clavatis, 70-80 = 7-9 μ, paraphysatis; sporidiis plerumque distichis, fusoideis, leniter curvulis, utrinque attenuatis, 3-5 septatis, non constrictis, 22-35 = 3,7-4,5 μ, olivaceis, intra ascum dense confertis.

Hab. in sarmentis siccis *Vitis viniferae*, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. VI, fig. 7 et 8.

78. **L. Galiorum** Sacc., *Syll.* II, p. 22.

Hab. in caulibus siccis *Galii*, pr. Aternum.

79. **L. Rusci** (Wall.) Sacc., *Syll.* II, p. 74.

Hab. in cladodiis siccis *Rusci aculeati*, pr. « Alanno » et « Cepagatti ».

80. **L. xylogena** Czi. et Bni. n. sp.

Peritheciis sparsis v. laxe gregariis, ligno immersis, globosis v. depressis, ostiolo papillato erumpente praeditis, 110-180 μ diam., *contextu pseudoparenchymatico, atro-olivaceo; ascis cylindraceo-clavatis, 50-70 = 9-11 μ, octosporis, filiformi-paraphysatis; sporidiis 2-3-stichis, fusoideis, utrinque acutulis, leniter curvulis, 5-7 septatis, non constrictis, guttulatis, 22-27 = 3,5-4 μ, dilute flavo-olivaceis.*

Hab. in ramis decorticatis *Salicis*, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. VII, fig. 4 et 5.

Obs. Multis notis cum *Leptosphaeria livida* Vogl. convenit.

81. **Pleospora herbarum** (Pers.) Rab. — Sacc., *Syll.* II, p. 247.

Hab. in foliis *Arundinis Donacis, Citri Limonum, Lauri nobilis, Eriobotryae japonicae;* in caulibus *Brassicae oleraceae, Antirrhini majoris, Tritici vulgaris, Coronillae Emeri, Clematidis* sp., *Artemisiae vulgaris, Asparagi officinalis, Spartii juncei, Euphorbiae Cyparissiae,* ubicumque.

82. **Pleospora infectoria** Fuck. — Sacc., *Syll.* II, p. 265.

Hab. in foliis *Galii Aparines* et *Lauri nobilis*, pr. Lauretum Aprutinum et « Catignano ».

Obs. Peritheciis globosis immersis, nigris, 250-300 μ diam.; sporidiis transverse-5-septatis, muriformibus, 24-28 = 10-11 μ, umbrinis.

83. **Pl. media** Niessl. var. **Limonum** Sacc. *Syll.* II, p. 244.

Hab. in foliis languidis *Citri Limonum*, pr. Aternum.

84. **Pl. phragmospora** (Dur. et Mont) Ces. f. **Juccae** Sacc., *Syll.* II, p. 269.

Hab. in foliis putridis *Yuccae gloriosae*, pr. Aternum.

85. **Clathrospora xerophila** Czi. et Bni. n. sp.

Peritheciis globosis v. globoso-depressis, immersis, 140-150 μ diam., ostiolo crassiusculo erumpente, contextu parenchymatico fuligineo; ascis clavatis, 65-85 = 16-20 μ, paraphysatis; sporidiis distichis, basi submonostichis, 5-6 transverse-septatis, fuligineis, a fronte oblongo-ellipsoidalibus, inaequilateralibus, muriformibus, 22-25 = 10,5-12-5 μ, a latere subcylindraceis, 7-8,5 μ crassis.

Hab. in rhizomatibus siccis *Cynodontis Dactyli*, in arenis litoris Adriatici maris, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. VIII, fig. 1 et 2.

Obs. *Clathrosporae Donacis* Berl. valde affinis.

86. **Pyrenophora coronata** (Niessl.) Sacc., *Syll.* II, p. 283. — *Pleospora coronata* Niessl., Not. Krit. Pyr., p. 16, tav. IV, fig. 2, 1825. — Berl. Icones Fung. II, p. 14, tav. XVIII, fig. 1.

Hab. in caulibus *Cichorii*, pr. « Montesilvano ».

Obs. Berlesius hanc speciem refert ad genus *Pleosporam*, ut iam rettulit Niesslius, cum sit « . . . . *peritheciis ostiolo penicillato praeditis, sed non in eorum parte superiore setas rigidas, longiusculas gerentibus* . . . ». Quod Berlesius recte animadvertit, hoc nobis videtur neque utile neque idoneum esse, cum species ratione et arte generatim distribuimus; praesertim cum genus *Pyrenophora* a genere *Pleospora* « *... peritheciis apice setigeris...* ». ab ipso Berlesio distinguatur.

Haec species apicem manifeste setigerum praebet, setulis rigidis, fuscis, quae, cum aër umidior sit, uti animadvertimus in nostro exemplari in aëre umido posito, aequare vel superare possunt dimensiones setularum nonnullarum specierum insignium *Pyrenophorae.*

Utrum setulae circa ostiolum longiores an breviores, rariores an

densiores adsint, parum refert cum speciem generi adscribamus; cum autem generi *Pleosporae* ademptum, cui solitarie atque intempestive annumeratus est, hunc fungum *Pyrenophorae coronatae* referamus, setulas circa perithecii apicem adesse nos satis habemus.

Fam. MASSARIACEAE.

Massariellops Czi. n. gen. (Etym. a *Massariella*, cui affinis).

Perithecia immersa peridermide plerumque tecta, raro erumpentia majuscula, contextu coriaceo v. membranaceo denso, ostiolo subimpresso vix conico erumpente, coriaceo v. subcoriaceo, nigro. Asci clavato-cylindracei, octospori; paraphyses filiformes typice longiores ascis, sursum ramosae. Sporidia monosticha oblonga, ellipsoidalia, phaeodidyma.

Hoc genus inter *Massariellam* Speg. et *Didymospheriam* Fuck. interiectum, prioris perithecia alterius sporas praebet.

Generi *Didymosphaeriae*, quod Fuckelius (Symb. Mycol., p. 140, 1869) « *peritheciis ut in Pleospora . . .* », et rursus Saccardus (*Syll.* I, p. 701) « *peritheciis minutis . . .* » descripsit, complures species usque adhuc relatae sunt, quibus nec cum ipso genere nec cum familia *Pleosporacearum*, ad quam genus *Didymosphaeria* pertinet, quidquam intercedit, sive quia perithecia maiuscola, sive quia plerumque ita effecta praebent, ut formam *Massariacearum* potius exibeant.

Quod autem *Pyrenomycetae* hodie in familias distribuuntur notis peritheciorum peculiaribus, species illae potius quam *Didymosphaeriae*, magis generi *Massariellae* appropinquant, cui tamen annumerari nequeunt, cum sporas strato hyalino obvolutas non habeant.

Huic novo generi igitur referendae sunt omnes species *Didymosphaeriae* peritheciis maiuscolis superantibus circiter 0,5 mm. diam.; de quibus speciebus postea, cum opusculum de genere *Massariellope* edamus, disserturi erimus.

87. **Massariellops aprutina** Czi. n. sp.

Peritheciis solitariis, cortice nigrificato tectis, ellipsoideis, circiter 600 μ latis, 250 μ altis, contextu indistincto parenchimatico denso, dilute fuligineo circa ostiolum corneo et nigreo; ascis cylindraceis, 110 = 9 μ; paraphysibus numerosis, 1-1,5 μ crassis, asci longitudinem superantibus, sursum ramosis, interdum cum ramis hic illic

coniunctis; sporidiis monostichis, oblongo ellipsoidalibus, in media parte septatis, saepius ad septum constrictis, guttulatis, 11,5-14 = 5,5-7 μ, fuligineis, intus minute granulosis.

Hab. in sarmentis *Ruborum*, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. VII, fig. 8 et 9.

Obs. Alia est ac *Massariellops* (*Didymosphaeria*) *Rubi fruticosi* (Crouan) Czi. sporis appendiculatis et ac *Massariellops* (*Didymosphaeria*) *Idaei* (Feltg.) Czi. peritheciis gregariis epidermide non nigrificata tectis et sporis aeque bicellularibus.

Fam. CLYPEOSPHAERIACEAE.

88. **Anthostomella Sullae** Montem. — Sacc., *Syll.* XXII, p. 95.
Hab. in foliis vivis *Hedysari coronarii*, pr. « Montesilvano ».

Fam. VALSACEAE.

89. **Valsa ambiens** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* I, p. 131.
Hab. in ramulis dejectis *Alni*, pr. Lauretum Aprutinum et « Spoltore ».

90. **Valsa ceratophora** Tul. **var. Rubi** (Fuck.) Berl. — Trav., Fl. it. Crypt., Pyrenom., p. 84. — *Valsa Rubi* Fuck., Sacc., *Syll.* I, p. 109.
Hab. in sarmentis siccis *Ruborum*, pr. Aternum.
Obs. In pseudostromate huius *Valsaceae* inter et intra perithecia vacua saepe invenimus pycnidia *Scolecozythiae valsivorae* Czi. quam solam etiam in reliquo sarmento invenimus.

91. **V. microstoma** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* I, p. 111.
Hab. in ramis *Pruni domesticae*, pr. Angulum.

92. **V. Vitis** (Schw.) Fuck. — Sacc., *Syll.* I, p. 115.
Hab. in sarmentis *Vitis viniferae*, pr. Lauretum Aprutinum.

93. **Eutypella exigua** Ell. et Ev. — Sacc., *Syll.* XVII, p. 565.
Hab. in ramulis corticatis *Ulmi campestris*, pr. « Alanno ».

94. **Chorostate Helicis** (Niess.) Trav., Pyrenomycetae, p. 200. — *Diaporthe Helicis* Niessl. — Sacc, *Syll.* I, p. 614.
Hab. in ramulis corticatis siccis *Hederae Helicis*, pr. « Alanno » et « Montesilvano ».

95. **Chorostate oncostoma** (Duby) Trav., Pyrenomycetae, p. 197. — *Diaporthe oncostoma* Fuck. — Sacc., *Syll.* I, p. 612.
HAB. in ramis corticatis subvivis *Robiniae Pseudacaciae*, pr. Aternum.

96. **Diaporthe spiculosa** (Pers.) Nitsch. — Sacc., *Syll.* I, p. 633.
HAB. in ramis emortuis *Sambuci nigrae*, socia *Phomopside sambucella* (Sacc.) Trav., probabiliter status pycnidicus, pr. Aternum.

97. **D. vepris** (De Lacr.) Fuck. — Sacc., *Syll.* I, p. 667.
HAB. in sarmentis *Ruborum*, pr. « Alanno ».

98. **Cryptosphaerella Nitschkei** (Auersw.) Sacc., *Syll.* I, p. 186.
HAB. in ramis emortuis corticatis *Salicis Capreae*, ad Aternum.
OBS. Peritheciis sparsis, vel vix adproximatis, nigris, basi saepe plana, subglobosis, discretis, 300-400 μ diam., cortice tectis dein erumpentibus; ascis polysporis, clavatis, apice leniter constrictis, p. sp. 45-50 = 12-14 μ; sporidiis allantoideis, 9 = 1-1,5 μ, hyalinis.

99. **Melanops Coryli** Czi. et Bni. n. sp.
Stromatibus corticalibus, sparsis, tectis, erumpentibus, saepius truncato-conicis, raro orbicularibus v. globoso-depressis, atro-fuligineis, a contextu matricali clare distinctis, 300-700 μ diam.; peritheciis stromate immersis, globulosis, plerumque 2-4 unicuique stromati, interdum ad unum redactis maius et informe, nigris, albofarctis; ascis elongato clavatis, basi attenuatis, 90-110 = 10-12 μ, octosporis, paraphysibus filiformibus dense obvallatis; sporidiis distichis v. subdistichis, oblongo fusoideis, utrinque constricto-acutiusculis, 3- septatis, rectis v. leniter curvulis, 20-26 = 3,5-4,5 μ, hyalinis.
Status spermogonicus adnatus ***Cytosporella Coryli*** Czi. et Bni. n. sp., *sporulis oblongo-subcylindraceis v. fusiformibus, 3,5-4,5 = 2 μ, continuis, episporio non aeque crasso, guttulatis, hyalinis; sporophoris simplicibus, filiformibus, 8-14 μ longis.*
HAB. in ramulis siccis *Coryli Avellanae*, pr. Aternum.
ICON. nostra tab. VI, fig. 9-11.
OBS. Dubitamus hunc pyrenomycetem generi *Melanopi* referre, quod genus apud Saccardum ipsum ancipiti modo descriptum est, sed eo minus hic fungus referri poterat generi *Calosporae* sive quia eius perithecia vero stromate, non pseudostromate, ut perithecia omnium *Calosporarum*, immerguntur, sive quia in eodem stromate, ut in *Melanope mirabili* Fuck., fere semper status spermogonicus et status ascophorus simul adsunt.
Melanops Coryli igitur alia est ac *Calospora secedens* (M. et Fr.) Sacc. in *Corylo Avellana* descripta, quae species praeterea tam

dubie innotuit, ut Montagnius, qui primus descripsit sub nomine *Sphaeriae secedentis* Mont. (Ann. Scien. Nat. ser. 2ª, T. I, p. 300, 1834), existimaverit eam valde affine esse *Sphaeriae tesserae* Fr., quae hodie *Chorostate tessera* (Fr.) Trav. appellatur, et toto coelo differt a genere *Calospora*.

In *Melanope Coryli* status pycnidicus in eodem loculo statuum ascophorum antecedit, loculos pycnidiales saepe angulosos et forma varios praebens. Qui status pycnidicus notis stromatis existimari potest *Ceuthospora*, sed, cum sporas habeat parvas, subcylindricas, ovales vel fusiformes, ut *Cytosporella* describimus.

Fam. MELANCONIDACEAE.

100. **Valsaria insitiva** (De Not.) Ces. et De Not. — Sacc., *Syll.* I, p. 741.

Hab. in ramis corticatis *Paliuri aculeati*, pr. Aternum et « Spoltore ».

Obs. Pseudostromatibus suberumpentibus; peritheciis circinantibus angulato-compressis v. globoso-depressis, 250-300 μ diam., nigris; ascis cylindraceis, 100-115 = 9 μ, copiosis paraphysatis, sporidiis monostichis, oblongis, uniseptatis, constrictis, biguttulatis, 14-16,5 = 9-10 μ, diu lutescentibus, denique fuligineis.

Fam. XYLARIACEAE.

101. **Hypoxylon fuscum** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* I, p. 361.

Hab. in ramis dejectis *Salicis*, in alveo Aterni fluminis, pr. « Spoltore ».

Sub-ordo **Dothideineae.**

Fam. DOTHIDEACEAE.

102. **Systremma Artemisiae** (Schw.) Theib. et Syd. Ann. Myc. XIII, p. 333, tab. III, fig. 4. — *Nummularia Artemisiae* (Schw.) Sacc., *Syll.* I, p. 401.

Hab. in caulibus siccis *Artemisiae* sp., in agro Angulensi.

Fam. PHYLLACHORACEAE.

103. **Scirrhia Castagnei** (Mont.) Nits. — Sacc., *Syll.* II, p. 635.

Hab. in caulibus emortuis *Equiseti arvensis*, pr. Aternum.

Ordo **DISCALES.**

Fam. PEZIZACEAE.

104. **Chlorosplenium aeruginosum** (Oed.) De N. — Sacc., *Syll.* VIII, p. 315.
Hab. in ramis dejectis *Quercus*, pr. « Alanno ».

Fam. DERMATACEAE.

105. **Cenangium Coryli** Corda. — Sacc., *Syll.* VIII, p. 559.
Hab. in ramis dejectis *Coryli Avellanae*, pr. Lauretum Aprutinum, socia *Dothichiza turgida* (Fr.) v. Höhn, quae eius status pycnidicus est.

106. **C. ligni** Desm., Ann., Sc. Nat. III, T. 3, p. 364. — *Pyrenopeziza ligni* (Desm.). Sacc., *Syll.* VIII, p. 366.
Hab. in ligno vetusto *Coryli Avellanae*, pr. « Montesilvano ».

Fam. STICTIDACEAE.

107. **Eupropolis europaea** Sacc., emend. Czi. et Bni. — Sacc. Nuov. Giorn. Bot. It., n. s., vol. XXIII, p. 226, 1916.
Ascomatibus sparsis vel gregariis, atris, subcutaneo-erumpentibus, leviter prominulis, initio globoso-clausis, dein apertis, margine crassiusculo saepe intro-flexo, 250-300 μ diam., subceraceis, excipulo indistincte parenchymatico, fuligineo; ascis paucis, cylindraceo-saccatis, apice rotundatis, basi attenuatis, 90-140 = 30-40 μ, octosporis; sporidiis 2-3-stichis, oblongo-ellipsoides, rectis v. interdum curvulis, utrinque rotundatis, 3-septatis, ad septum medium valde constrictis, ad septa extrema parum v. non constrictis, 36-44 = 13-15 μ, initio hyalinis dein olivaceo-fuligineis, intus minutissime granulosis; paraphysibus filiformibus creberrimis ad apicem leniter claviformibus, incrassatis et dense stipatis, epithecium formantibus primum atro-virescens, denique ad siccitatem progressum fuligineum.
Hab. in ramulis siccis *Tamaricis gallicae*, pr. « Montesilvano » ad mare.
Icon. nostra tab. VI, fig. 1 et 2.

Obs. Saccardus cum hanc speciem describeret dimensiones ascomatum, ascorum, sporarum notavit circiter tertia parte minores dimensionibus quas in nostris exsiccatis nos inspeximus, ita ut dubitemus an de specie alia ac de *Eupropoli europaea* agatur. At cum nostra exsiccata comparavissemus cum exiccatis quae eadem Saccardus inspexit, in Herbario Saccardiano Instituti Botanici Patavini servata, a clarissimo atque humanissimo Prof. J. Gola nobis missa, recognovimus dimensiones inter se perfecte convenire, quae dimensiones aliquanto maiores sunt dimensionibus quas Saccardus in sua descriptione notavit. In qua differentia haud dubium est quin aliquis error lateat, per quem peritissimus ille vir lapsus sit, cum dimensiones fungi notaret; qui error nobis visus est esse emendandus.

108. **Stictis radiata** (L.) Pers. — Sacc., *Syll.* VIII, p. 682.
Hab. in ramis dejectis *Quercus*, pr. « Spoltore ».

Fam. PHACIDIACEAE.

109. **Trochila Craterium** (D.C.) Fr. — Sacc., *Syll.* VIII, p. 728.
Hab. in pag. inf. foliorum dejectorum *Hederae Helicis*, pr. Aternum et « Alanno ».
Obs. Ascomatibus fere planis, nigricantibus, epidermide laciniata cinctis, 250-350 μ latis; ascis cylindraceis v. leniter clavatis, sessilibus, 8-sporis, 50-65 = 9-10 μ; sporidiis oblique-monostichis, sursum saepe subdistichis, ovatis, continuis, hyalinis, 7 8,3 = 5-6 μ; paraphysibus filiformibus, ad apicem clavulatis.

Fam. PATELLARIACEAE.

110. **Lecanidion atratum** (Hedw.) Rabenh. — Sacc., *Syll.* VIII, p. 795. — *Patellaria atrata* (Hedw.) Fr. — Rehm., Die Pilze.Ascom., pag. 334.
Hab. in ligno putrido saligno, pr. « Montesilvano ».

Classis **PHYCOMYCETEAE.**

Ordo **ZYGOMYCALES.**

Fam. MUCORACEAE.

111. **Mucor racemosus** Fresen. — Sacc., *Syll.* VII, p. 192.
HAB. in *Morchella esculenta* corrupta, pr. « Torre dei Passeri ».

112. **Sporodinia grandis** Link. — Sacc., *Syll.* VII, p. 207.
HAB. in *Russula adusta* et *Tricholomate albo* putrescentibus, pr. Aternum et « Torre dei Passeri ».

Ordo **OOMYCALES.**

Fam. PERONOSPORACEAE.

113. **Peronospora Brassicae** E. Gäumann. — Trott., Sacc. *Syll.* XXIV, p. 45.
HAB. in foliis *Brassicae oleraceae*, pr. Aternum.

114. **Peronospora Lamii** A. Braun. — Sacc., *Syll.* VII, pars I, p. 256.
HAB. in foliis vivis *Lamii*, pr. « Rosciano ».

115. **P. variabilis** Gäumann., Mitteil. Naturf. Gesellsch. Bern., 1919, p. 62; Trott., Sacc. *Syll.* XXIV, p. 39.
HAB. in foliis *Chenopodii albi*, pr. « Montesilvano ».

II. *DEUTEROMYCETEAE.*

Ordo **SPHAEROPSALES.**

Fam. SPHAERIOIDACEAE.

Sect. HYALOSPORAE.

116. **Phyllosticta Inulae** All. — Sacc., *Syll.* XIV, p. 856.
HAB. in foliis vivis *Inulae viscosae*, pr. « Spoltore ».
OBS. Maculis rotundis, fuscis; pycnidiis epiphyllis, globosis, minutis, 80-110 μ diam.; sporulis oblongis v. ovoideis, 6-4 μ, hyalinis.

117. **Phyllosticta laurella** Sacc., *Syll.* III, p. 157.
HAB. in foliis vivis *Lauri nobilis*, pr. Aternum et « Spoltore ».
OBS. Pycnidiis epidermide tectis, globosis v. globoso-depressis, ostiolo papillato erumpente, 70-90 μ diam.; sporulis numerosissimis, ellipsoideis, 4-2,5 μ, hyalinis.

118. **Ph. marginalis** Penzig. — Sacc., *Syll.* III, p. 12.
HAB. in foliis *Citri*, pr. « Montesilvano ».

119. **Ph. nobilis** Thüm. — Sacc., *Syll.* III, p. 18.
HAB. in maculis marginalibus foliorum languidorum *Lauri nobilis*, socia *Pleospora herbarum* Rab, pr. « Montesilvano ».

120. **Ph. tinea** Sacc., *Syll.* III, p. 16.
HAB. in foliis vivis *Viburni Tini*, pr. « Alanno ».

121. **Ph. Verbenae** Sacc., *Syll.* III, p. 47.
HAB. in foliis *Verbenae officinalis*, pr. Aternum.

122. **Phoma Hesperidum** Mc. Alp. — Sacc., *Syll.* XVI, p. 854.
HAB. in ramis siccis *Citri Limonum*, pr. Aternum.
OBS. Pycnidiis laxe gregariis, 200-220 μ latis, 150-170 μ altis; sporulis biguttulatis, 4,5-5,5 = 2-2,5 μ, hyalinis.

123. **Ph. monocytogenetica** Czi. n. sp.
Pycnidiis gregariis, tectis v. erumpentibus, poro pertusis, globosis, 90-115 μ diam., *contextu minute parenchymatico, flavo-brunneo, saepe ab una cellula mycelica ortis; sporulis oblongo-ellipsoideis, continuis, guttulatis, 5,5-7 = 2,5 μ, hyalinis, nebulosis; sporophoris brevissimis, subnullis.*
HAB. in ramis siccis *Citri Limonum*, socio *Fusario lateritio* Nees, pr. Aternum.
ICON. nostra tab. VIII, fig. 3 et 4.

124. **Ph. pusilla** Schulz. et Sacc., *Syll.* III, p. 77.
HAB. in ramis emortuis corticatis *Rosae caninae*, pr. « Montesilvano ».
OBS. Pycnidiis in cortice immersis, globoso-depressis, ostiolatis, 150-170 latis, 120-150 altis; contextu parenchymatico perspicuo; sporulis hyalinis, cylindraceis, raro piriformibus, 3,5 5 = 2μ; sporophoris filiformibus, fasciculatis.

125. **Ph. Salicis** Sacc., *Syll.* III, p. 97.
HAB. in ramis siccis salignis, pr. « Montesilvano ».

126. **Ph. Vitis** Bonord. Sacc., *Syll.* III, p. 79.
HAB. in sarmentis *Vitis viniferae*, pr. Lauretum Aprutinum et « Rosciano ».

127. **Macrophoma longispora** (Thüm) Berl. et Vogl. — Sacc., *Syll.* X, p. 201.
HAB. in sarmentis *Vitis viniferae*, pr. « Catignano ».

128. **M. Oleae** (D.C.) Berl. et Vogl. — Sacc., *Syll.* X, p. 204.
HAB. in foliis dejectis marcescentibus *Oleae europaeae*, pr. « Montesilvano ».

129. **M. oleandrina** Czi. et Bni. n. sp.
Pycnidiis sparsis, nigris, cortice immersis, globosis, saepius leniter depressis, contextu valde crasso, nigro-carbonaceo, nucleo albo, 160-190 μ diam.; sporulis oblongo-ellipsoidalibus, 18-20 = 7 μ, hyalinis, intus granulosis, episporio tenui; sporophoris brevibus.
HAB. in ramis siccis *Nerii Oleandri*, socia *Physalospora oleandrina* Czi. et Bni., cuius status spermogonicus probabiliter, pr. Aternum.
ICON. nostra tab. XI, fig. 3 c et 6.
OBS. A *Macrophoma Oleandri* Pass., in foliis *Nerii Oleandri* descripta, dimensionibus sporarum praecipue differt.
In foliis *Nerii Oleandri Macrophoma neriicola* Sever. (Ann. Bot. vol. XI, p. 200, 1913) et *Macrophoma Nerii* Jaap. (Ann. Mycol., vol. VII, p. 31, 1916) descriptae sunt, quae species dissimillimae nostro fungillo inveniuntur, praesertim cum sporae cylindraceae, tenuissimae cum sporis *Phomae neriicolae* Pat. conveniant (Cat. rais. pl. Cell. Tunisie, p. 117, 1897).
Nostra sententia *M. neriicola* et *M. Nerii* eamdem speciem significant, nam, cum descriptiones inter se comparavissemus, notas utriusque speciei easdem esse invenimus.

130. **Aposphaeria conica** Sacc., *Syll.* XXII, p. 919.
Hab. in ramis dejectis *Quercus*, pr. « Alanno ».

131. **Chaetophoma erysiphoides** Grif. et Maub., Bull. Soc. Myc., T. XXV, p. 60 (1909).
HAB. in foliis vivis *Quercus Ilicis*, pr. « Alanno ».

132. **Cicinnobolus Cesatii** De Bary. — Sacc., *Syll.* III, p. 216.
HAB. in mycelio *Microsphaerae quercinae*, pr. Aternum et Lauretum Aprutinum.

133. **Phomopsis Ailanthi** (Sacc.) Trav., non Died. — Trav., Pyrenom., 1906, p. 196. — *Phoma Ailanthi* Sacc., *Syll.* III, p. 95.
HAB. in ramis *Ailanthi glandulosae*. — Aternum, « Alanno » et « Spoltore ».

134. **Ph. Bignoniae** (Sacc.) Czi. et Bni. n. comb. — *Phoma Bignoniae* Sacc., *Syll.* X, p. 155.

Hab. in sarmentis emortuis *Tecomae*, pr. Aternum

Obs. Pycnidiis punctiformibus, lenticularibus, 300 μ latis; sporulis ellipsoidalibus, acutiusculis, biguttulatis, 7-8 = 2,5-3 μ, sporophoris bacillaribus, hamatis, suffultis.

135. **Phomopsis Capsici** (Magn.) Sacc., Nuov. Giorn. Bot. It., u. s., vol. XXIII, 1916, p. 209. — *Phoma Capsici* Magn. Sacc., *Syll.* XVIII, p. 256.

Hab. in fructibus *Capsici annui*, in agro Aternensi.

136. **Ph. cinerescens** (Sacc.) Trav., Pyrenom., p. 278. — *Phoma cinerescens* Sacc., *Syll.* III, p. 96.

Hab. in ramulis corticatis siccis *Fici caricae*, pr. Aternum et « Alanno ».

137. **Ph. incrustans** (Nits.) Died., Ann. Mycol., IX, 1911, p. 24. — *Phoma incrustans* (Nits.) Sacc., *Syll.* III, p. 119.

Hab. in caulibus siccis *Cruciferarum*, pr. « Montesilvano ».

Obs. Pycnidiis in macula effusa, atra, dilute violacea, valde depressis, 250-300 μ latis; sporulis 7-8,5 = 2-2,5 μ, hyalinis, cylindraceis, utrinque leniter attenuatis, biguttulatis (guttulis magnis fere totum lumen sporulae occupantibus); sporophoris filiformibus.

138. **Ph. maculans** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis sparsis orbe obscuro cinctis, epidermide tectis, lenticularibus, dein conicis erumpentibus, 250-400 μ latis; sporulis subellipsoidalibus, extremis rotundatis, interdum acuminatis vel turgidulis, 7-8 = 2-2,4 μ, hyalinis, cum duabus guttulis magnis totum fere lumen sporae occupantibus; sporophoris bacillaribus, hyalinis, rectis, 12-15 μ longis.

Hab. in ramis iunioribus siccis *Ailanthi glandulosae*, pr. « Alanno ».

Icon. nostra tab. VIII, fig. 7-11.

Obs. A *Phomopsi Ailanthi* (Sacc.) Trav. cuius epidermis immutata est et sporae fusoideae sunt guttulis parvis utrinque ornatae, plane differt.

139. **Ph. Morearum** (Brun.) Czi. et Bni. n. comb. — *Phoma Morearum* Brun. — Sacc., *Syll.* X, p. 161.

Hab. in ramis siccis *Mori albae*, in agro Angulensi.

140. **Ph. oncostoma** (Thüm.) v. Höhn, non Trav., Sitz. d. K. Akad. d. Wiess. Wien. Math.-naturw. Kl. Bd. CXV, Abt. 1, 1906, p. 33. — *Phoma oncostoma* Thüm. — Sacc., *Syll.* III, p. 69.

Hab. in ramis corticatis subvivis *Robiniae Pseudacaciae*, pr. Aternum et « Alanno ».

141. **Phomopsis picea** (Pers.) v. Höhn., l. c. — *Phoma picea* (Pers.) Sacc., *Syll.* III, p. 140.

Hab. in caulibus siccis *Artemisiae vulgaris*, pr. « Alanno ».

Obs. Pycnidiis depressis, linearibus, forma et longitudine variabili, in macula atra; sporulis hyalinis, biguttulatis (guttulis magnis fere totum lumen sporulae occupantibus), fusiformibus, raro ellipsoidalibus, 7,5-9 = 2,5-3 μ; sporophoris filiformibus, hyalinis, serius hamatis.

142. **Ph. pulla** (Sacc.) Trav., Pyrenom., p. 244. — *Phoma pulla* Sacc., *Syll.* III, p. 87.

Hab. in ramulis emortuis *Hederae Helicis*, pr. « Montesilvano ».

143. **Ph. quercella** (Sacc. et Roum.) Died., Ann. Myc. IX, 1911, p. 28. — *Phoma quercella* Sacc. et Roum. — Sacc., *Syll.* III, p. 96.

Hab. in ramulis siccis *Quercus*, pr. Lauretum Aprutinum.

144. **P. Quercus** (Sacc. et Speg.) Czi. et Bni. n. comb. — *Phyllosticta Quercus* Sacc. et Speg. — Sacc., *Syll.*, III, p. 34.

Hab. in foliis languidis *Quercus Ilicis*, pr. « Alanno ».

Obs. Maculis marginalibus magnis plerumque apicalibus; pycnidiis epiphyllis, sparsis, lenticularibus; sporulis ellipsoideis, biguttulatis, 7-8,5 = 2,5-3,5 μ, hyalinis; sporophoris bacillaribus, sporulis sublongioribus.

Haec species omnes notas generis *Phomopsis*, cui ascribimus, praebet, atque valde probabile est nihil aliud esse quam speciem *Phomopsim* iam in ramis descriptam, ut e. g. est *Phomopsis quercella* (Sacc. et Roum.) Died.

145. **Ph. revellens** (Sacc.) v. Höhn., non Trav., Sitz. d. K. Akad. d. Wiss. Wien. Math.-naturw. Kl. Bd. CXV, Abt. 1, 1906, p. 33. — *Phoma revellens* Sacc., *Syll.* III, p. 33.

Hab. in ramis siccis *Coryli Avellanae*, pr. Aternum.

Obs. Sporophoris filiformibus, saepius hamatis, raro curvulis, continuis 20-30 = 1 μ; sporulis hyalinis, oblongis, biguttulatis, 7 = 2,5-3 μ.

Saepe in pycnidiis maturis plurima sporophora hamata tantummodo inveniuntur, quorum causa fungus formam *Cytosporinae* praebet. Qua re dubitamus an huic speciei *Cytosporina loanensis* Poll. (Att. Ist. Bot. Pavia, ser. 2ª, vol. V, 1896) referenda sit, cuius paucae notae descriptae fere omnino cum notis *Phomopsis revellentis* ad maturitatem perfectam progressae, conveniant.

146. **Phomopsis sambucella** (Sacc.) Trav., Pyrenom., p. 244. — *Phoma sambucella* Sacc., *Syll.* III, p. 71.

Hab. in ramis emortuis *Sambuci nigrae*, pr. « Spoltore ».

147. **Ph. scabella** (Penz.) Curzi, Atti Ist. Bot. Pavia, ser. III, v. 2°, p. 89 (1924). — *Phoma scabella* Penz. — Sacc., *Syll.* III, p. 84.

Hab. in ramulis siccis *Citri Limonum*, pr. Aternum.

148. **Ph. Spartii** (Sacc.) Died., Ann. Myc. IX, 1911, p. 31. — *Phoma Spartii* Sacc., *Syll.* III, p. 67.

Hab. in ramulis *Spartii juncei*, pr. Aternum et Lauretum Aprutinum.

149. **Ph. velata** (Nitsch.) v. Höhn., non Trav., *l. c.* — *Phoma velata* Nitsch. — Sacc., *Syll.* III, p. 92.

Hab. in ramulis tenuioribus *Tiliae europaeae*, pr. Angulum.

150. **Ph. vepris** (Nke) v. Höhn., non Trav., *l. c.* — *Phoma Vepris* (Nke) Sacc., *Syll.* III, p. 76.

Hab. in ramis corticatis *Rubi fruticosi*, pr. « Alanno ».

151. **Ph. vexans** (Sacc. et Syd.) Harter, Journ. Agr. Res., II, p. 331, 1914. — *Phoma vexans* Sacc. et Syd. *Syll.* XIV, p. 889.

Hab. in fructibus *Solani Melongenae*, pr. Lauretum Aprutinum et « Montesilvano ».

152. **Plenodomus Helicis** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis sparsis, superficialibus, in superficie ligni decorticati positis, depressis, 400-500 μ latis, 200-250 μ altis, contextu sub-sclerenchymatico, atro, intus albo; sporulis ovoideis v. ellipsoidalibus, extremis obtusis, e cellulis contextus interioribus ortis, 4,5-6 = 2,5-3 μ, guttulatis, hyalinis.

Hab. in ramulis dejectis decorticatis *Hederae Helicis*, pr. « Catignano ».

Icon. nostra tab. IX, fig. 1-3.

153. **Dothiorella Photiniae** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis subepidermicis, caespitosis, interdum laxis et inter se iunctis hyphis obscuris instar spissi reticuli intextis, interdum et saepius contra stipatis et compressis ita ut unum stroma constituant erumpens cum 3-6 loculis rettangularibus ex ordine dispositis; contextu denso cellulis undulatis constituto, fuligineo, nucleo submucoso albido; sporulis cylindraceis, minutis, leniter curvulis,

3,5-5 = 1-1,5 μ, hyalinis; sporophoris verticillato-ramosis, fasciculatis, ramulis terminalibus instar minimorum phialidorum.

Hab. in ramis siccis *Photiniae serrulatae*, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. IX, fig. 4 et 5.

154. **Cytospora ambiens** Sacc., *Syll.* III, p. 268.

Hab. in ramulis siccis *Alni*, pr. Lauretum Aprutinum.

155. **C. Capreae** Fuck. — Sacc., *Syll.* III, p. 262.

Hab. in ramis corticatis *Salicis Capreae*, pr. Aternum.

156. **C. carbonacea** Fr. — Sacc., *Syll.* III, p. 260.

Hab. in ramis siccis *Ulmi campestris*, pr. « Alanno ».

Obs. Pycnidiis majusculis, plurilocularibus, depressis, 1-1,5 mm., latis, contextu crasso, atro, pseudoparenchymatico, ostiolo centrali, amplo, prominulo; sporophoris filiformibus, simplicibus, 12-15 = 1,5 μ; sporulis hyalinis, botuliformibus, 5 = 1-1,3 μ.

157. **C. chrysosperma** (Pers.) Fr. — Sacc., *Syll.* III, p. 260.

Hab. in cortice *Populi*, pr. Aternum.

158. **C. Eriobotryae** Czi. et Bni. n. sp.

Stromatibus sparsis, epiphyllis, paucis loculis meandriformibus, irregularibus, ostiolo unico centrali, erumpente, nigro, amplo; sporulis botuliformibus, 6-7 = 1,6-2 μ, hyalinis; sporophoris bacillaribus, fasciculatis, 10-15 μ longis.

Hab. in maculis marginalibus foliorum *Eriobotryae japonicae*, pr. « Montesilvano ».

Icon. nostra tab. VIII, fig. 5 et 6.

159. **C. ocellata** Fuck. — Sacc., *Syll.* III, p. 263.

Hab. in ramis tenuioribus *Coryli Avellanae*, pr. « Alanno ».

Obs. Pycnidiis laxe sparsis, raris, stromaticis, erumpentibus, nigris, loculis magnis; sporulis hyalinis, curvulis, 5 = 1 μ; sporophoris fasciculatis, interdum ramificatis et verticillatis.

160. **C. Salicis** (Corda) Rab. — Sacc., *Syll.* III, p. 261.

Hab. in ramis salignis, pr. Aternum, « Alanno » et « Montesilvano ».

161. **C. Syringae** Sacc., *Syll.* III, p. 272.

Hab. in ramulis siccis *Syringae vulgaris*, pr. Aternum.

162. **C traslucens** Sacc., *Syll.* III, p. 261.

Hab. in ramulis corticatis salignis, pr. Aternum.

Obs. Pycnidiis in stromate valsiforme, disco albido, fusco-marginato; sporulis cylindraceis, curvulis, 4-5 = 1 μ; sporophoris filiformibus, 8-12 μ longis.

Sect. Hyalodidymae.

163. **Ascochyta Quercus** Sacc. et Speg. — Sacc., *Syll.* III, p. 393.
Hab. in foliis *Quercus Ilicis*, pr. « Alanno ».

164. **Ascochytella Coronillae** Czi. et Bni. n. sp.
Pycnidiis subepidermicis v. erumpentibus, sparsis, punctiformibus, globosis, raro depressis, 120-150 μ diam., contextu celluloso atro-fuligineo; sporulis ellipsoidali-fusiformibus, utrinque acuminatis, uniseptatis, non constrictis, 6-7 = 2,5-3 μ, olivaceis.
Hab. in ramulis *Coronillae Emeri*, socia *Diplodina aternensi* Czi. et Bni., ad Lauretum Aprutinum.
Icon. nostra tab. IX, fig. 6 *b* et 8.

165. **Diplodina aternensis** Czi. et Bni. n. sp.
Pycnidiis sparsis, immersis, ostiolo nigro, papillato, emergente, saepe in breve collum producto, ellipsoidalibus, 250-400 μ amplis, 150-200 μ altis (ostiolo excepto); contextu minute parenchymatico, fuligineo, in parte inferiore pallido, in parte superiore valde obscuriore; sporulis cylindraceis, rectis v. leniter curvatis, in media parte septatis, ad septum non constrictis, 4 guttulatis, 9-11,5 = 2 μ, hyalinis; sporophoris obsoletis.
Hab. in ramulis *Coronillae Emeri*, ad Lauretum Aprutinum.
Icon. nostra tab. IX, fig. 6 *a* et 7.
Obs. Alia species est ac *Diplodina Coronillae* Brun., cum sporulas minores et pycnidia non « *minuta et subglobosa* » praebeat.
Affinis est potius *Diplodinae ampelinae* Died. (Kryptogam. Fl. d. Mark Brand., Band. IX, Pilze, VII, p. 408, 1915).

166. **D. Capsici** Czi. et Bni. n. sp.
Pycnidiis subepidermicis, depressis, ellipsoidalibus, 150-200 μ latis, 100-120 μ altis; contextu distincte parenchymatico, cellulis parvis membrana tenui constituto, superne atro, parte inferiori pallide fuligineo; sporulis cylindraceis v. subnavicularibus, uniseptatis, saepe inaequalater loculatis, ad septum non v. valde constrictis, 7,5-10 = 2,5 μ, hyalinis, tandem in cirros protrusis; sporophoris obsoletis.
Hab. in caule sicco *Capsici annui*, pr. Aternum.
Icon. nostra tab. IX, fig. 9 et 10.

Sect. Hyalophragmiae.

167. **Cytostagonospora cryptica** Czi. n. sp.

Pycnidiis sparsis, epiphyllis, profunde immersis, sphaericis, 110-130 μ diam., ostiolo minuto, conico, erumpente, epidermide et superiore mesophylli parte nigrificatis et mutatis, postremo ita corruptis ut interdum desint et pycnidia detecta appareant velut in cavum immersa; contextu atro-fuligineo cellulis grandioribus; nucleo albo; sporulis cylindraceis v. utrinque leniter attenuatis et obtusatis, rectis, 2-3 septatis, non constrictis, 45-60 = 3 μ, hyalinis.

Hab. in foliis dejectis *Arbuti Unedonis*, pr. « Torre dei Passeri ».

Icon. nostra tab. X, fig. 1 et 2.

Sect. Scolecosporae.

168. **Septoria Antirrhini** Desm. — Sacc., *Syll.* III, p. 535.

Hab. in foliis caulibusque siccis *Antirrhini majoris*, pr. Aternum.

Obs. Pycnidiis 55-65 μ diam., aliquanto latioribus quam altioribus, amphigenis; sporulis cylindraceis 9 = 2,4 μ.

169. **S. Apii** Chester, Bull. Torr. Bot. Club., 1891, p. 371. — *S. Petroselini* Desm. var. *Apii* Br. et Cav., I Funghi parass., fasc. VI, n. 144, 1891; Sacc., *Syll.* XIV, p. 972. — *Phlyctaena Magnusiana* (All.) Bres. — Allesch., XII, Ber. Bot. Ver. Landshut, p. 62, 1892; Sacc., *Syll.* XI, p. 551. — *S. Apii* Rostr., Plantepatol., 1902, p. 575.

Hab. in foliis *Apii graveolentis*, pr. Aternum.

170. **S. Arbuti** Pass. — Sacc., *Syll.* X, p. 358.

Hab. in foliis dejectis *Arbuti Unedonis*, pr. « Torre dei Passeri ».

Obs. Pycnidiis amphigenis, minuscolis, nigris, 80-120 μ diam., poro amplo; sporulis bacillaribus, rectis, 10-13 = 1-1,5 μ, hyalinis.

171. **S. cheiriana** Czi. et Bui. n. sp.

Maculis variis et sparsis in media pagina foliorum, in pagina superiore ferrugineis in inferiore autem viridibus etiam in pagina lutea; pycnidiis sparsis, subglobosis 80-120 μ diam., poro latiusculo pertusis, subepidermicis vel erumpentibus, contextu tenui parenchymatico dilute-brunneo; sporulis cylindraceis, rectis, raro curvulis,

utrinque obtusis, plerumque 1-septatis, raro 2-3 septatis, non constrictis, 12-19 = 2,5-3 μ, hyalinis.

Hab. in foliis *Cheiranthi Cheiri*, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. IX, fig. 12-14.

Obs. Forma sporarum nos in memoriam *Ascochytae Cheiranthi* Bres. potius reducit, cui pycnidia immatura, saepe sporis aeque uniseptatis, hanc speciem assimilant.

172. **Septoria Galii** Czi. et Bni. n. sp.

Maculis nullis; pycnidiis sparsis, subepidermicis v. erumpentibus, globosis, 80-100 μ diam., contextu atro membranaceo, ostiolo latiusculo donatis; sporulis filiformibus, rectis, curvulis vel flexuosis, utrinque acutiusculis, uniseptatis, 12-16 = 1-1,5 μ, hyalinis.

Hab. in foliis siccis *Galii Aparines*, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. IX, fig. 11.

Obs. A *Septoria Galiorum* Ell. sporis minoribus uniseptatis differt.

173. **S. muralis** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis in macularum parte media, globoso-depressis, 180-220 μ latis, 115-150 μ altis, ostiolo sub-impresso, 24-35 μ diam. rotundato, contextu distincte parenchymatico, umbrino, in pycnidii parte inferiore valde pallidiore; sporulis cylindraceis, rectis, raro curvulis et undulatis, 1-3 septatis, plerumque (centesimas octogenas notavimus) 3-septatis, 20-32 = 3-3,4 μ, hyalinis, muco conglobatis.

Hab. in foliis vivis *Chenopodii muralis*, pr. Angulum.

Icon. nostra tab. X, fig. 3-5.

Obs. A *Septoria Atriplicis* (West.) Fuck. typica differt, cum pycnidia maiora et sporas fere semper 3-septatas et tenuiores praebeat.

Cum aliquot exsiccata inspexissemus, cumque ea quae de *Septoria Atriplicis* (West.) Fuck. descripta sunt legissemus, in hanc discessimus sententiam: fungum in *Atriplici patula* descriptum, saltem forma, a *Septoria* in *Chenopodio murali* valde probabiliter differre ac distingui.

Quam ob rem dubitamus an *Septoria* a nonnullis auctoribus in *Chenopodio murali* inventa et ab iisdem *Septoria Atriplicis* appellata, ad speciem a nobis descriptam referenda sit.

174. **S. piricola** Desm. — Sacc., *Syll.* III, p. 487.

Hab. in foliis vivis *Piri communis*, pr. Aternum, « Rosciano » et « Torre dei Passeri ».

175. **S. plantaginea** Pass. — Sacc., *Syll.* III, p. 554.

Hab. in foliis languidis et siccis *Plantaginis*, pr. « Alanno ».

Obs. in foliis siccis et marcescentibus hanc *Septoriam* invenimus, sociam peritheciis immaturis, globosis, nigris, nucleo albo parenchymatico, ascis vix effectis; quae perithecia etsi observari matura non potuerint, tamen statum ascophorum fungi esse existimamus.

176. **Septoria Populi** Desmz. — Sacc., *Syll.* III, p. 502.
Hab. in foliis *Populi Tremulae*, pr. Aternum et « Spoltore ».
Obs. Pycnidiis amphigenis, saepius epiphyllis, depressis, ostiolo amplo; sporulis uniseptatis, curvulis, loculis granuloso-farctis, 35-40 = 2,5 μ.

177. **Rhabdospora Artemisiae** Trail. — Sacc., *Syll.* X, p, 395.
Hab. in caulibus emortuis *Artemisiae vulgaris*, pr. « Alanno ».
Obs. Pycnidiis sparsis, globulosis v. depressis, ostiolo obtuso, erumpente; sporulis elongato-fusiformibus 10-13 = 1,5 μ, hyalinis.

178. **Rh. ramealis** (Desm. et Rob.) Sacc., *Syll.* III, p. 580.
Hab. in sarmentis siccis *Ruborum*, pr. Aternum.

179. **Cornularia elegans** Czi. n. sp.
Pycnidiis sparsis v. 2-3 caespitosis, superficialibus, cylindraceo-clavatis, saepe basi leniter bulbosa, apice ostiolato leniter dilatato et hyphis filiformibus constituto sursum radiantibus, 450-550 μ altis, 45-75 μ diam., fragilibus, atro-olivaceis, postremo atro-fuligineis; sporulis clavatis, anguiformibusque, saepe lunatis, 7-9 transverse-septatis, 50-60 = 2,5 μ, hyalinis v. dilutissime virescentibus.
Hab. in cortice truncorum *Ailanthi glandulosae*, pr. « Alanno ».
Icon. nostra tab. X, fig. 6 et 7.
Obs. Sporae huius fungi roseo colore tinguntur in solutione « Sudan III » positae.

Sect. Phaeosporae.

180. **Coniothyrium Fuckelii** Sacc., f. **Citri** Penz., Fung. Agrum., N. 70, fig. 1179.
Hab. in ramulis siccis *Citri Limonum*, pr. Aternum.
Obs. Pycnidiis globosis, in cortice immersis, 200-300 μ diam.; sporulis numerosissimis, minutis, in massam coactis olivaceis, saepius fere hyalinis, 3-3,5 = 1,5-2 μ; sporophoris parum manifestis.

181. **C. Hederae** (Desm.) Sacc., *Syll.* III, p. 307.
Hab. in ramis tenuioribus siccis *Hederae Helicis*, pr. « Alanno ».

Obs. Pycnidiis lenticularibus, subepidermicis, contextu lutescente ; sporulis initio hyalinis, dein olivaceo-fuscis ; sporophoris filiformibus, 15-20 μ longis.

182. **Coniothyrium insitivum** Sacc., *Syll.* III, p. 306.
Hab. in ramulis siccis *Ulmi campestris*, pr. Angulum.

183. **C. ruscicolum** (Dur. et Mont.) Sacc. — D. Sacc., Myc. Ital, n. 1694, 1913. — *Phyllosticta ruscicola* Dur. et Mont. — Sacc., *Syll.* III, p. 58. — *Coniothyrium Hypoglossi* Mutto, Att. Ist. Bot. Pavia, Ser. 2ª, Vol. XVI, p. 207, 1916.
Hab. in cladodiis *Rusci aculeati*, socia *Leptosphaeria Rusci*, pr. « Alanno » et « Torre dei Passeri ».
Obs. Exsiccata, quae in hac Officina habemus eadem relicta a Mutto, cum *Coniothyrio ruscicolo* perfecte conveniunt et praeterea socia est *Leptosphaeria Rusci* (Wallr.) Sacc., *Coniothyrii ruscicoli* status ascophorus.
Quae cum ita sint non est dubium quin utrumque *Coniothyrium* ad eamdem speciem referenda sint.

184. **Sphaeropsis ambigua** Mont. — Sacc., *Syll.* III, p. 304.
Hab. in culmis siccis *Zeae Maydis*, in agro Aternensi.

185. **Sph. demersa** (Bon) Sacc., *Syll.* III, p. 293, X, p. 255.
Hab. in ramulis corticatis *Crataegi Oxyacanthae*, pr. Aternum.
Obs. Pycnidiis cortice tectis, globoso-depressis, 280-400 μ latis, 230-300 μ altis ; sporulis ovato-ellipsoideis, 22-24 = 9,5-11 μ, fuligineis ; sporophoris paliformibus, brevibus.

186. **Sph. Lantanae** P. Brun. — Sacc., *Syll.* XIV, 921.
Hab. in ramis siccis *Viburni Tini*, pr. Aternum.
Obs. P. Brunardius sporulas describit his dimensionibus: 15-19 = 10 μ ; in specie nostra dimensiones paulo maiores invenimus, idest: 18-22 = 12 μ.

187. **Sphaeropsis Photiniae** Trav. et Migl. — Sacc., *Syll.* XXII, p. 981.
Hab. in foliis siccis *Photiniae serrulatae*, pr. Aternum.
Obs. In hoc fungo nullam invenimus sporam septatam, tamen dubitamus an sit *Diplodia Photiniae* Speg. quam invenimus in ramis eiusdem arboris *Photiniae serrulatae*. Ceterum species Spegazziniana raro et ad maturitatem valde progressa sporas septatas praebet, ut *Diplodia pseudodiplodia* Fuck., cui simillima est.

188. **Sphaeropsis salicicola** Pass. — Sacc., *Syll.* X, p. 256.

Hab. in ramis siccis *Salicis*, pr. Aternum.

Obs. Pycnidiis sparsis, serie dispositis, subcutaneo-erumpentibus, globoso-depressis, nigris, 250-300 = 160-220 μ; sporulis oblongo-ellipsoideis v. lenissime obovatis, primum hyalinis, dein castaneo-brunneis, 18-22 = 9-11 μ, granuloso-farctis, cum magna guttula centrali; sporophoris hyalinis, filiformibus, longitudine varia, saepe paraphysibus similibus.

Chaetosphaeropsis Czi. et Bni. n. gen. (Etym. *choete* seta, et *Sphaeropsis*).

Pycnidia setosa ut in Pyrenochaeta De Not. *et in Chaetodiplodia* Karst. *Sporulae continuae, coloratae ut in Sphaeropside* Lév.

189. **Ch. truncata** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis sparsis, nigris, immersis v. erumpentibus, globosis aut a lateribus ita compressis ut multangula appareant, 220-280 μ diam, vertice ornatis plurimis setulis radiantibus, 150-250 = 3,5-4,5 μ, olivaceis, incrustato-asperulis, contextu parenchymatico cellulis magnis atro-violaceis, nucleo-albo; sporulis subpiriformibus v. ellipsoidalibus, sursum rotundatis, basi truncatis, 9,5-11 = 22-26 μ, initio melleis denique fuligineis (quam lenissime echinulatis?), semper continuis; sporophoris cylindraceis, paliformibus, hyalinis.

Hab. in petiolo nervisque foliorum *Pittospori*, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. X, fig. 8-10.

190. **Haplosporella moricola** Czi. et Bni. n. sp.

Stromatibus sparsis, subcorticali-erumpentibus, nigris; pycnidiis plerumque 2-4 in acervulos collectis, saepe stipatis et compressis, 200-300 μ diam., contextu parenchymatico, atro-fuligineo; sporulis numerosis, initio sub-catenulatis et hyalinis, dein solutis, olivaceis, denique fuligineis, ovoideo-ellipsoidalibus, 5,5-7 = 4,5-5 μ, guttula magna et episporio crasso leniter rugoso praeditis.

Hab. in ramulis siccis corticatis *Mori*, pr. Angulum.

Icon. nostra tab. XI, fig. 1-3.

Sect. Phaeodidymae.

191. **Microdiplodia lauretana** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis depressis, gregariis, interdum compositis vel botryosis, ordinarie simplicibus, 120-150 μ latis, 90-100 μ altis; contextu distincte parenchymatico, flavo-brunneo, cellulis parvis membrana tenui constituto, in parte marginali substantiis matricalibus intexto

instar pseudostromatis; sporulis fusiformibus, plerumque utrinque acuminatis, 1-septatis, ad septum nunquam constrictis, 9-11 = 3,5-4,5 μ, fuligineis: sporophoris hyalinis, bacillaribus, perspicue manifestis.

Hab. in ramis siccis *Lauri nobilis*, socia *Metasphaeria lauretana* Czi. et Bni., cujus probabiliter status pycnidicus videtur, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. VII, fig. 1 *b* et 3.

Obs. In *Lauro nobili* invenitur descripta *Diplodia Harknessi* Sacc., quam, cum sporulas minores praebeat, ad genus *Microdiplodiam* All. referimus, et *Microdiplodiam laurinam* (Cke et Hark.) Czi. et Bni. n. comb. appellamus (Syn.: *Diplodia laurina* Cke et Hark., Grev. IX, p. 83, 1881; *Diplodia Harknessi* Sacc., *Syll.* III, p. 363, 1884).

Haec species inventa est in foliis *Lauri nobilis* in California et, paucis notis descriptis, a nostra specie manifeste differre videtur.

192. **Microdiplodia palmarum** (Corda) Died., Krypt., M. Brand., B. IX, p. 592. — *Coniothyrium palmarum* Corda. — Sacc., *Syll.* III, p. 318. — *Microdiplodia Passeriniana* (Thüm) Allescher, VII, p. 91.

Hab. in foliis languidis *Chamaeropsis*, pr. Aternum.

193. **Diplodia Alni** Fuck. — Sacc., *Syll.* III, p. 355.

Hab. in ramis siccis *Alni*, pr. Lauretum Aprutinum.

194. **D. Evonymi** West. — Sacc., *Syll.* III, p. 360.

Hab. in foliis *Evonymi japonici*, pr. Aternum.

195. **D. laurina** Sacc., var. **minor** Pass. — Sacc., *Syll.* X, p. 279.

Hab. in ramis corticatis emortuis *Lauri nobilis*, pr. Aternum et « Pianella ».

Obs. Pycnidiis sparsis v. gregariis, erumpentibus, depressis, 350-400 = 150-250 μ, subcarbonaceis; sporulis ellipsoideis, 19-21=9-10 μ, 1-septatis, constrictis.

Hic fungillus probabiliter nihil aliud est nisi *Diplodia melaena* Lév.

196. **Diplodia Lilacis** West. — Sacc., *Syll.* III, p. 346. — ? *Sphaeropsis Syringae* (Fr.) Peck et Cke. — Sacc., *Syll.* III, p. 298.

Hab. in ramulis siccis *Syringae vulgaris*, pr. « Montesilvano ».

Obs. Pycnidiis globoso-depressis, saepe gregariis, interdum compositis, 250-300 μ diam.; contextu atro-purpureo, nucleo-albo; sporulis cylindraceis v. piriformibus, diu hyalinis 22-30 =

10-13 μ, dein fuligineis 20-25 = 8-10 μ, episporio crasso praeditis, demum uniseptatis; sporophoris paliformibus.

Nostrum exemplar magis *Sphaeropsi* quam *Diplodiae* affine videtur, qua re initio *Sphaeropsim Syringae* (Fr.) Peck. et Cke. esse putavimus; sed cum exsiccatis *Diplodiae Lilacis* West. (Sydow., Myc. germ. 818; et Jaap., Fung. sel. exsicc. 544) comparatum invenimus eiusdem esse speciei ac nostrum exemplar quod sporulas diu continuas praecipue in ramis tenuibus saepe ostendit. Notae *Sphaeropsis Syringae* (Fr.) Peck et Cke. cum notis status immaturi *Diplodiae Lilacis* West. conveniunt, quam ob rem dubitamus an haec duo nomina ad eamdem speciem referenda sint, ut jam Diedickius putavit.

197. **Diplodia melaena** Lév. — Sacc., *Syll.* III, p. 349.
Hab. in ramis siccis *Ulmi*, pr. « Alanno ».

198. **D. Mori** West. — Sacc., *Syll.* III, p. 351.
Hab. in ramulis aridis *Mori*, pr. Aternum.

199. **D. Oleandri** Speg. — Sacc. *Syll.* III, p. 360.
Hab. in ramis *Nerii Oleandri*, pr. « Alanno ».
Obs. Sporulis ellipsoidalibus v. ovoidalibus, 27 = 12-14 μ, fuligineis.
Spegazzinius hanc speciem in foliis dejectis Oleandri, peritheciis « . . . *laxe gregariis, circinatim dispositis* . . . » describit; nos autem in ramis invenimus, peritheciis sparsis, secundum longitudinem ramorum dispositis. Fungus easdem notas pycnidiorum et sporarum praebebat, quae a Spegazzinio descriptae sunt, qua re haud dubium est quin fungillus noster idem sit ac species a Spegazzinio descripta.
Initio fungus *Sphaeropsis* formam praebet, quia sporulae brunneae continua diu permanent; cum ad maturitatem progressae sunt, sporulae septatae, uti in pycnidiis maturitate corruptis, tantummodo inveniuntur.

200. **D. Paliuri** Becc. — Sacc., *Syll.* III, p. 334.
Hab. in ramis siccis *Paliuri aculeati*, ad Aternum et Lauretum Aprutinum.

Obs. Pycnidiis sparsis, subcorticalibus, ostiolo conico-erumpente, globosis, 220-280 μ diam., carbonaceis, contextu distincte celluloso-parenchymatico, nucleo albo; sporulis ovoideo-ellipsoidalibus, interdum bozzoliformibus, uniseptatis, 20-25 = 9-11 μ, umbrino-fuligineis.
Beccarius hanc speciem describit sporis 25-35 μ longis, quae dimensiones multo maiores sunt quam nos notavimus.

Dubitamus an Beccarius sporas paulo neglegentius mensus sit, cum in eius exsiccatis (Erb. Critt. Ital., ser. I, n. 1290) longitudinem sporarum notaverimus esse plerumque 22-24 μ, interdum sed rarissime 28 μ; quae dimensiones exsiccatis quoque D. Saccardi (Mycoth. Ital., n. 152) quae eadem inspeximus, confirmantur.

201. **Diplodia Photiniae** Speg. — Sacc., *Syll.* III, p. 362.
Hab. in ramulis siccis *Photiniae serrulatae*, pr. Aternum.
Obs. Pycnidiis atris, subepidermicis, interdum gregariis, globosis, 150-250 μ diam., sporulis oblongis v. piriformibus, 20-22 = 9,5-13 μ, fuligineis, plerumque continuis, tandem 1- septatis.

202. **Diplodiella fibriseda** Sacc., *Syll.* III, p. 376.
Hab. in ramis decorticatis dejectis *Juglandis regiae*, pr. « Catignano ».

Sect. Phaeophragniae.

203. **Hendersonia Diedickei** Czi. et Bni. n. n. — *H. Vitis* Died., Kryptogam. d. Mark. Brand., B. IX, p. 662, 1915.
Hab. in sarmentis siccis *Vitis viniferae*, pr. « Montesilvano ».
Obs. Hanc speciem, a Diedickio nomine *Hendersonia Vitis* Died. descriptam, nos auctori ipsi dedicamus, cum jam descripta sit *Hendersonia Vitis* (Schultz.) Sacc. (Sacc., *Syll.* III, p. 423, 1884).

204. **H. Lauri** (Sacc.) Czi. et Bni. n. sp. — *H. sarmentorum* West. var. *Lauri* Sacc., *Syll.* III, p. 420.
Maculis irregularibus, brunneo-marginatis; pycnidiis sparsis, subepidermicis erumpentibus, globosis v. leniter depressis, 100-120 μ diam., contextu celluloso parenchymatico, atrofuligineo; sporulis ellipsoideis, saepe curvulis, 1-3 septatis, 9-12 = 3-4 μ, luteo-virescentibus; sporophoris obsoletis.
Hab. in foliis vivis *Lauri nobilis*, pr. Lauretum Aprutinum.
Obs. Hic fungus parasitice vivit in foliis Lauri et notas tam singulares praebet ut potius species *Hendersonia sarmentorum* West. quam varietas aexistimanda sit, cuius varietates, ut Diedickius affirmat, species inter se distinctae existimandae sunt.

205. **Hendersonia Luzulae** West. — Sacc., *Syll.* X, p. 328.
Hab. in calamis *Junci*, ad Aternum.
Obs. Pycnidiis lenticularibus, 300-320 μ latis; sporulis cylindraceis vel subfusoideis, 3-septatis, ad septa non constrictis, 14-16 = 4-5 μ, castaneis.

206. **Hendersonula varians** Czi. et Bni. n. sp.

Stromatibus forma varia, saepe erumpentibus, contextu superne atro, parte inferiori loculis pallide fuligineo praeditis; sporulis oblongis, piriformibus v. ovalibus, denique plerumque 3-septatis, raro 1-v. 2-septatis, loculis extremis amplioribus, 10-12 = 4,5 μ, fuligineis.

Hab. in ramis decorticatis *Salicis*, pr. « Spoltore ».

Icon. nostra tab. XI, fig. 4-6.

Sect. Phaeodictyae.

207. **Camarosporium inflatescens** Czi. et Bni. n. sp.

Maculis sparsis, raris, subrotundis, nervis limitatis, griseis, leniter rubro-atro-marginatis; pycnidiis globosis, numerosis, saepe concentrice dispositis, plerumque epiphyllis, sed interdum hypophyllis, immersis, contextu aterrimo, pseudoparenchymatico, hyphis mycelicis brunneis cincto, ostiolo erumpente impresso, 80-100 μ diam.; sporulis polymorphis, saepius ovalibus v. piriformibus interdum globosis v. subpolyedricis, 1-2 transverse-septatis, in longitudinem plerumque 1-septatis, 7-9 = 5,8-7 μ, fuligineis; sporophoris hyalinis, flexuosis, sporulae longitudinem subaequantibus, v. leniter superantibus.

Hab. in foliis vivis *Quercus*, quae in partibus fungo corruptis mesophyllum inflatum ostendunt, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. XI, fig. 7-9.

Obs. A *Camarosporio quercino* (Bon.) Sacc., quod in ramis *Quercus* describitur, sporis majoribus, brunnioribus et manifeste septatis differt.

208. **C. Robiniae** (West.) Sacc., *Syll.* III, p. 459.

Hab. in ramis siccis *Robiniae Pseudacaciae*, pr. Lauretum Aprutinum.

Obs. Pycnidiis globosis, ostiolo erumpente; sporulis subovalibus, septato-muriformibus, 15-20 = 6-7,5 μ, olivaceo-fuligineis.

Fam. NECTRIOIDACEAE

209. **Zythia dendrophomoides** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis omnino immersis, mediocribus, globosis, saepe margine irregulari, contextu distincte parenchymatico cellulis parvis, stramineo, tenuissime secto albo, spisse secto ocroleuco, circa ostiolum melleo; sporulis numerosissimis, ellipsoideis, biguttulatis, 3-3,5 =

1,7-2 μ, hyalinis, in massa cremeis; sporophoris valde manifestis forma et dimensionibus variis, simplicibus, ramulosis v. denticulatis, fasciculatis, hyalinis.

Hab. in ramis *Spartii juncei*, pr. Lauretum Aprutinum.

Icon. nostra tab. XII, fig. 12 et 13.

210. **Zythia xanthella** Czi. et Bni. n. sp.

Pycnidiis cortice immersis, sparsis aut gregariis, globosis v. depressis, forma dimensionibusque valde mutabilibus, plerumque sphaericis, 70-100 μ diam., contextu dense fibrilloso aut minute pseudo-parenchymatico, crassitudine varia, vitellineo, interdum stramineo, nucleo eodem colore ac contextu; sporulis minutis, oblongis, ovoideo ellipsoidalibus 2,5-4 = 1,2-1,8 μ, hyalinis, in massa lutescentibus; sporophoris saepius valde manifestis, cylindraceis, interdum obsoletis, flavidulis.

Hab. in ramis siccis *Nerii Oleandri*, *Physalospora oleandrina* Czi. et Bni. et *Macrophoma oleandrina* Czi. et Bni. sociis, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. VI, fig. 3 *a* et 5.

211. **Cyanophomella acervalis** (Sacc.) V. Höhn., Hedwigia LX, 1919, p. 157. — *Phoma acervalis* Sacc, *Syll.* III, p. 16.

Hab. in cortice *Salicis Capreae*, pr. Aternum.

Scolecozythia Czi. n. gen.

Pycnidia immersa, subglobosa, pertusa, molliuscula, alba, lutea, v. aurantiaca, minute prosenchymatica. Sporulae filiformes, continuae v. pluriseptatae, guttulatae, hyalinae. Sporophora typice obsoleta. Plerumque in Pyrenomycetes parasitica. — Est quasi *Zythia* scolecospora.

212. **Scolecozythia valsivora** Czi. n. sp.

Pycnidiis molliusculis, subglobosis, saepe compressis, apice pertuso ornatis 90-120 μ diam., intra et inter perithecia parasitice genitis; contextu minute prosenchymatico, exstusluteolo, intus albo; sporulis filiformibus, undulatis v. curvatis, raro rectis, 3-5 septatis, plerumque 4-septatis, 24-28 = 2 μ, guttulatis, hyalinis.

Hab. in *Valsa ceratophora v. Rubi*, pr. Aternum.

Icon. nostra tab. XII, fig. 1 et 2.

213. **Dothiorina Tulasnei** (Sacc.) V. Höhn, Sitz. Ber. K. Ac. Wien. Math. nat. Kl. CXX, I, p. 85. — *Dothiorella Tulasnei* Sacc., *Syll.* III, p. 239.

Hab. in ramis deiectis *Quercus*, pr. « Alanno ».

Fam. LEPTOSTROMATACEAE.

214. **Leptothyrium sticticum** Czi. n. sp.
Pycnidiis plerumque epiphyllis, sparsis, punctiformibus, leniter prominulis, subconicis, 80-160 μ. latis, initio clausis et epidermide velatis, dein deiscentibus, valde apertis sporarum causa et sporophorum trudentum, contextu compacto, indistincte celluloso, nigro; sporulis cylindraceis, rectis, continuis, 14-18 = 2-2,5 μ. hyalinis; sporophoris filiformibus, simplicibus v. interdum ramosis.
Hab. in foliis dejectis *Arbuti Unedonis*, pr. « Torre dei Passeri ».
Icon. nostra tab. XI, fig. 10 et 11.

Fam. EXCIPULACEAE.

215. **Dothichiza turgida** (Fr.) V. Höhn., Fragm. Z. Mycol. 341. — *Catinula turgida* (Fr) Desm. — Sacc., *Syll.* III, p. 673.
Hab. in ramis dejectis *Coryli Avellanae*, pr. Lauretum Aprutinum, socio statu ascophoro *Cenangio Coryli* Corda.

216. **Discella carbonacea** (Fr.) Berk. et Br. — Sacc., *Syll.* III, p. 687.
Hab. in ramis dejectis *Salicis*, pr. Aternum.

Ordo MELANCONIALES.

Fam. MELANCONIACEAE.

217. **Gloeosporium intermedium** Sacc., *Syll.* III, p. 702.
